



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Analysis Methodica Ivris Pontificii

Venator, Daniel

[S.l.], 1579

VD16 V 541

De Obligatis Ad Ratiocinia. Titulus XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

ente, & non cōtradiciente, tacitè præsumitur manumissus, & per promotiones ad Ordines liber & ingenuus fit, c. si seruus, dist. 54. Si, domino ignorante, præsentatore & ordinatore etiam ignorantibus, minores ordines acceperit, restituendus est domino, c. nulli, dist. 54. Quòd si in presbyterum ordinatus fuerit, multabitur peculio, si habet, c. ex antiquis, extr. eod. si non habet, tenetur domino ad operas canonicas, c. frequens, dist. 54. Quòd si cōtumaciter hoc recuset, deponi poterit, c. nullus, extr. eod. Cùm autem ordinator & præsentator defectum ordinati sciebant, ad duplicatam mancipij æquivalentis præstationem domino tenentur, c. si seruus, dist. 54.

DE OBLIGATIS AD RATIO-
cinia.

Titulus XIX.

Continuatio.

Obligatio, qua quis ad redditionem rationum obstringitur, ab Ordinibus remouet petentem.

Quæ dicuntur Ratiocinia!

Sunt ratiocinia rationum redditiones, ad quas aliquis obligatur, ex administratione rerum publicarum, vel priuatarum: quæ aliàs dicuntur actionalia & ratiocinalia, c. hæc huius, 12. quæst. 2.

H 3

Quid

Quid est obligatio ad Ratiocinia?

Obligatio ad ratiocinia est, ius reddendæ ratiõis, in quolibet negotio, quod quis altero nomine, ex mandato, vel sine mandato, voluntariè, vel à magistratu coactus administrauit, gessitque.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens huius obligationis est, contractus, vt mandatum, & quasi contractus, vt negotiorum gestio, & tutelarum administratio.

Quæ Materia?

Materia sunt, negotia publica & priuata, tam in iudicio, quàm extra iudicium.

Quæ Forma?

Forma certa non potest dari, cum non sit vnũ genus negotij cuius administratio suscipitur.

Quis Effectus?

Effectus est, actio directa negotiorum gestorum, mandati, & tutelæ, qua tenentur gestores, vt sunt procurator ad negotia, procurator ad lites, executor testamentorum, tutor, vel curator pupillorum, rei administratæ rationem reddere domino: qua non reddita, adspirantes ad Ordines repelluntur, tot. titul. eod. &, cap. 1. distinct. 51.

Que

Quæ causa Impulsiva?

Causa impulsiva prohibitionis est, vilitas personæ, quæ facile ex officio irregularitatem contrahit. Secundò, præsumptio contra eos, quòd non transeant ad clericatum voto religionis, sed vt fugiant ratiocinia dominorum, c. legem, dist. 52. c. 1. 2. & 3. dist. 51.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis est, ne Ecclesia molestetur, & incommoda patiatur, propter tales, si, ob redditas rationes repetantur, c. præterea, dist. 51.

DE CORPORE VITIATIS
ordinandis, vel non.

Titulus XX.

Continuatio.

Vitium corporis magnam deformitatem inducens, licet non appareat, mala tamen vitii intentione acquisitum Ordinationi impedimento est.

Quis dicitur vitiatus corpore?

Vitiatus corpore dicitur, qui debilitate, deformitate, aut impotentia membri, vel totius corporis laborat, c. cum de tua, extr. eod.

H 4

Quæ